



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Subsect. 1. Auctoritate probatur nostra conclusio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

identice vniatur, non tollit. quominus intrinsece pertineat ad essentiam Dei: ergo essentia Dei etiam ratione nostra intrinsece claudit voluntatem.

SECTIO II.

Nostri sententia ponitur & probatur.

Prima conclusio; diuina essentia vltimo, ac formalissime non constituitur per intellectiōem diuinam, ita grauissimi Doctores, tam antiqui, quam moderni. Capreolus in 1. dist. 8. q. 4. art. 1. & disp. 15. q. 1. art. 2. vbi refellit Aureolum; Caietanus 1. p. q. 1. art. 7. vbi sapientiam numerat inter attributa, quæ consequuntur Deitatem; & 1. p. q. 14. art. 5. §. Ad hoc igitur, ait; propositiōnem hanc, Deus est sua intellectiō identice esse veram non autem formaliter, & 2. 2. q. 2. art. 1. §. Ad euidētiā, hæc expressa verba profert: [non ita se habet Deus ad esse sapientem, sicut ad esse verum; quia esse sapientē addit naturam sapientiæ supra naturam Deitatis, licet sint idem realiter;] idem tenet Ferraricus 1. contra Gent. cap. 45. Bañez q. 8. art. 8. Durand. in 1. dist. 2. art. 1. ibi: [Exclusis à Deo per rationem intellectū, & voluntate, cum omnibus actibus suis, adhuc esset in diuinis generatio Filij & spiratio Spiritus Sancti, ita quod hæc sunt in diuinis ex fecunditate naturæ radicaliter, quam fecunditatem habet ex sua infinitate, & non ex hoc, quod est intelligens & volens;] vbi licet falsam sententiam amplectatur, negans processiones diuinas esse mediis intellectu, & voluntate, plane tamen affirmat actum intelligendi, & volendi distinguere ab essentia, seu natura diuina. Ex nostris P. Molina 1. p. q. 2. art. 3. in fine, vbi inter attributa diuina, & affectiones Dei numerat intellectum, voluntatem, sapientiam, bonitatem &c. P. Vazquez 1. p. disp. 119. cap. 3. hæc expressa verba ponit: Respondeo ita nostro conceptu distinguere sapientiam ab essentia Dei, & substantia eius vt nostro more intelligendi non apprehendatur vt Deitas, sed vt aliquid Deitatis, P. Valentia 1. p. disp. 1. q. 26. §. unico, paulo ante finem sic ait, Quamuis in essentia Dei vt sic sit summum, & infinitum bonum, tamen in essentia vt sic non possidet intellectum, sed per intellectum loquendo, sed per intellectiōem suam, quamuis à parte rei ipsa sua intellectiō etiam sit sua essentia; eandem sententiam docet Gillius lib. 2. tract. 7. cap. 15. P. Petrus Arrubal. 1. tom. in 1. p. disp. 18. cap. 3. Pater Ludouicus de Torres rom. de fide disp. 2. de obiecto formali fidei, lib. 1. affirmat efficaciter probari ratione. Nouissime P. Alarcon rom. 1. in 1. p. tract. de scientia Dei.

SUBSECTIO I.

Autoritate probatur nostra conclusio.

Damasceus lib. 1. de fide, cap. 4. agens de Dei incomprehensibilitate, vbi aperte nostram sententiam his verbis docet, [quæcunque autem de Deo per Theologiam affirmatiuam dicimus non naturam eius, sed ea, quæ sunt circa naturam insinuant; nam siue bonum, siue iustum, siue sapientem, siue quiduis aliud dixeris non naturam dicis Dei, sed ea, quæ sunt circa natu-

ram.] Quid clarius, & euidētius poterat ad nostram sententiam confirmandam inueniri, vbi expresse, & manifeste docet sapientiam Dei eo modo se habere respectu naturæ Dei, sicut bonitatem, & iustitiam, ac proinde bonitatem, iustitiam & sapientiam nullo modo esse naturam diuinam; sed affectiones, attributa, seu proprietates ipsius naturæ, & essentia; vt patet ex illis clarissimis verbis; nam siue bonum, siue iustum, siue sapientem, siue quiduis aliud dixeris, non naturam dicis Dei, sed ea quæ sunt circa naturam; id est, quæ circumstant naturam vt explicant Eliobæus; atqui ea quæ circumstant naturam, & quæ circa naturam sunt, & non sunt ipsa natura, nullo modo possunt esse vltimum constitutum diuinæ essentia; & naturæ, quis enim dixit vnquam essentiam diuinam esse circa naturam Dei, & quis potest intelligere gradum entis, & gradum substantiæ spiritualis non esse naturam diuinam, sed potius circumstare naturam, & esse circa ipsam, quia talia prædicata sunt essentialiter constitutiva diuinæ naturæ, & essentia; ergo si D. Damascenus asserit, sapientiam Dei non esse naturam Dei, sed potius esse circa naturam, eo modo quo est circa ipsam iustitiam, & bonitas manifeste sequitur, sapientiam diuinam non esse constitutum essentialiter vltimum diuinæ naturæ.

Respondet Herize ad Damascenum, ubi supra cap. 1. his verbis noluiffe hunc notorem non constitui Deum in sua essentia sua sapientia, & bonitate, sed nominibus, & conceptibus, quibus nos significamus, & explicamus naturam Dei per sapientiam, per bonitatem, non eam exprimi, vt est in se, sed attributis quibusdam secundum modum nostrum concipiendi, & per partes: ideoque prius ipse dixerat, conuenientius esse de Deo per omnium ablationem facere sermonem, & infra cap. 12. vt nos doceat non bene à nobis explicari naturam Dei per conceptus per quos posuimus attribui ipsi sapientiam, & bonitatem, sic subdit; [vniuersum enim id quod est, tanquam immenlum quoddam, & infinitum essentia pelagus complexu suo continet.] Deinde subiungit, [nec enim in Deo prius essentiam dicere licet, postea bonitatem,] quæ verba optima sunt ad constitutionem illam physicam essentia Dei de qua feci mentionem cap. 3. num. 9. non tamen ex his sit non constitui metaphysice naturam Dei intellectu speciali ratione sic ille.

Sed contra manifeste, quia S. Damascenus non ideo asserit, aut expellit sapientiam, bonitatem, & iustitiam à constitutione essentiali diuinæ naturæ eo quod nomina sapientia, iustitia, & bonitatis non explicant naturam prout est in se, vt falso asserit Herize, sed potius quia hæc nomina, sapientia, iustitia, & bonitas non significant prædicata quidditatiua naturæ diuinæ, sed proprietates, & affectiones, quæ insunt naturæ diuinæ, explicant, verba Damasceni sic se habent, [quæcunque autem de Deo per affirmationem dicimus, non ipsius naturam, sed quæ circa ipsius naturam sunt, ostendunt, ita siue bonum, siue iustum, siue sapientem, siue quidcunque tandem aliud dicere libeat, non Dei naturam, sed quæ naturæ insunt, exponis,] sic Damascenus, cap. 4. in fine: ergo non propter rationem affirmatam ab Herize in sua solutione asserit Damascenus, non constitui Deum per sapientiam, bonitatem, & iustitiam formalissime, & essentialiter, sed potius quia sapientia non est prædicatum essentialiter Dei; sed potius attributale & ideo comparat quoad hoc sapientiam iustitiæ, & bonitati; de quibus in tua sententia dicendum est, ideo

Quaest. II. Vtrum Deus const. form. intell. 233

ideo non constituere diuinam naturam, quia non significant ipsam prout est in se, sed potius, quia sunt attributa Dei ad secundarium conceptum ipsius pertinentia; nam iustitia v.g. est virtus voluntatis, seu volitio diuina, & de hac asserit, *disp. 3. de constitutione naturae diuinae, art. 4. c. 1.* non posse constituere diuinam essentiam metaphysice; quia spectat ad secundarium conceptum Dei; quia est intellectio posterior ratione nostra cum fundamento in ipso Deo. Sic asserit, *n. 1.* ergo si in sententia Damasceni propter eandem rationem excluditur sapientia à constitutione essentiali, propter quam excluditur iustitia, & iustitia, vt tu asseris non excluditur à tali constitutione, quia nō significat naturam prout est in se, sed potius quia est attributū, & posterior essentia, vt pote secundarius conceptus illius; ergo similiter sapientia excluditur à constitutione essentiali diuinæ naturæ, non quia non significat diuinam naturam prout est in se, sed potius quia diuina sapientia est attributum, & secundarius conceptus dei; quod tu ipse his verbis doces, per sapientiam, per bonitatem noneam exprimi vt est in se, sed attributis quibusdam secundum modum nostrum concipiendi; ergo per te sapientia, & bonitas significant attributa naturæ nostro modo intelligēdi nō prædicata essentialia dei.

14 Præcipue, quia si totus defectus esset in nominibus à nobis impositis, & in conceptibus mentis nostræ finitis, & limitatis, quæ quatenus talis est, non potest deum prout est in se significare etiam nullo modo possent conceptus nostri, & nomina non solum naturam diuinam, sed neque attributa dei, & prædicata, quæ dei naturæ insunt significare, quia quicunque conceptus nostri finiti sunt, & quæcunque nomina à nobis imposita limitata, & omnia prædicata diuina, non solum essentialia, sed etiam attributalia sūt infinita, & illimitata quia sunt ipse deus; atqui D. Damascenus docet per sapientiam, bonitatem, & iustitiam, licet non significetur natura, significari tamen attributa, quæ naturæ dei insunt; ergo non ideo damascenus excludit sapientiam & iustitiam, &c. à constitutione diuinæ naturæ, quia non significant deum vt in se est, aut diuinam secundum suam perfectionem, & proprietatem, sed potius quia sapientia, iustitia, & bonitas non sunt prædicata essentialia, sed attributalia, & secundario conuenientia deo.

15 Efficacius vrgetur, quia ipse Damascenus, qui dixerat c. 4. per sapientiam, & iustitiam non constitui naturam diuinam, dicit c. 12. *eiusdem lib. primi*, naturam, & essentia Dei constitui propter prædicatum entis simpliciter à se & per hoc prædicatum, qui est, quidditatiue constitui Deū; atqui hæc nomina, ens simpliciter & qui est, &c. etiam quatenus à nobis proficiuntur sunt finita, & limitata, & non significant naturam Dei prout est in se, in quo conueniunt cum reliquis nominibus, quæ non obstante limitatione asserit per hæc constitui Deum essentialiter, non per sapientiam, iustitiam, & bonitatem; ergo euidenter, & manifeste sequitur, non ideo in sententia Damasceni sapientiam, & iustitiam non constituere diuinam essentiam, quia nomina sapientia, & iustitia non significant Deū prout est in se, quia hoc etiam habet nomen ens, &c. sed potius, quia significant prædicata attributalia dei, & non essentialia constitutum illius eo modo quo significat ens, & qui est. Maior patet manifeste ex his verbis Damasceni: [ex omnibus porro nominibus, quæ Deo tribuuntur, nullū æque proprium videtur, atque entis nomen, quemadmodum ipsemet, cum Moysi in monte oracula dederet, ait, dic filiis Israël qui est misit me, vniuers-

I. P. Tom. II.

sum enim id, quod est, tanquam immensum quoddam, & infinitum essentia pelagus complexu suo continet.]

Ecce quomodo Diuus Damascenus per ens, & per qui est, definit essentiam Dei, dicendo esse ens simpliciter infinitum, & ideo ait, infinitum essentia pelagus esse Deum quidditatiue conceptum. Item loquens in eodem capite paulo supra de nominibus significantibus iustitiam, cognitionem, bonitatem, simplicitatem, &c. asserit, illa nomina non significare substantiam, & essentiam Dei, sed potius affectiones, aut operationes Dei, aut quid non sit Deus; quibus dictis docet id quod nuper ex Damasceno ipso adduximus, videlicet, ens & qui est, seu infinitū essentia pelagus quidditatiue Deum constituere; verba Damasceni hæc sunt, [sic itaque existimandum est, ea omnia, quæ de Deo commemorantur, non quid substantia ratione sit, significare, verum aut quid non sit explicare, aut affectionem quandam, aut quiddam eorum, quæ naturam affectant, aut denique operationem aliquam declarare:] ergo ex Damasceno colligitur clare, sapientiam, iustitiam, &c. non ideo non constituere Deum, quia nomina, per quæ significantur, non significant naturam prout est in se, sed potius quia non sunt prædicata essentialia; sed potius attributalia eo quod sint affectiones, & proprietates essentia Dei.

Præterea, quia hoc nomine essentia, & natura vitur Damascenus ad significandam constitutionem essentialem Dei, vt patet ex *cap. 4. lib. in principio*: [Quid autem ratione essentia, ac natura sit, nullo omnino modo comprehendere, cognoscere potest,] & *in fine eiusdem capituli*, sic ait: [in Deo autem impossibile quiddam essentia sua, ac natura ipse sit dicere.] Et c. 12. concludit, [infinitum essentia pelagus complexu suo continet,] vt definitionem quidditatiue dei in lucem edat; & nihilominus hæc nomina, essentia, natura, &c. quia à nobis proficiuntur finitis, limitatis, & imperfectis, non significant naturam dei prout est in se (in quo non differunt à nominibus, sapientia, bonitas, & iustitia, quæ excludit à definitione Dei); ergo hoc prædicatum sapientia, sicut & iustitia non excluduntur à Damasceno à constitutione diuini esse propter rationem adductam ab aduersariis, sed potius quia sunt attributa, & conceptus secundarij Dei.

Quod amplius patet, quia ipse Damascenus *eodem c. 12.* postquam definierat Deum per infinitum esse, & docuerat nomē ens, primum, & proprium Dei esse, statim dicit nomē Theos, seu Deus esse secundum, & non primum respectu dei, & explicans quid significet nomen Deus, docet significare Deum cognoscentem, comprehendentem, & omnia scientem, & cogitatione sua complectentem; verba Damasceni hæc sunt [secundum nomen est Theos, hoc est Deus, quæ vox, vel à verbo Thein, vel denique *ἐκ τοῦ θεῶν*, hoc est quod omnia perspicat. Nihil enim ipsius oculos fallere potest, vt pote rerum omnium inspectorem, perspexit enim omnia, priusquam orienturi ea videret citra vllam temporis inter capedinem cogitatione complectens; atque etiam voluntaria sua, temporisque omnis experite cogitatione singula comprehendens,] & infra agens de hac significatione sic ait: operationem indicat:] Ecce quomodo Sanctus Doctor docet, nomen deus significans sapientiam dei nō esse primum respectu dei, sed secundum; quia cognitio scientifica infinita Dei, quæ sapientia dicitur, est prædicatum secundario conueniens deo; quia nostro modo intelli-

G g gendi

gendi non significat naturam dei, sed operationem ipsius per quam vivit Deus actualiter. Ergo sapientia Dei excluditur à Damasceno à constitutione essentiali dei, quia non est prædicatum quidditativum, sed attributale, aut secundarium.

18 Verba autem illa, [nec enim in deo prius ipsius essentiam dicere licet, postea bonitatem,] non secundum propriam sententiam adducit; sed potius in sententia Dionysij, ut patet ex verbis Damasceni quæ sic se habent, [ut autem Dionysio placet, neque enim in deo prius ipsius essentiam dicere licet, ac postea bonitatem;] unde illud nomen, bonitas, accipiendum est eo modo, quo solet usurpari à Dionysio lib. de divinis nominibus, ibi enim sæpius per bonitatem significat infinitudinem simpliciter, seu perfectionem maximam assestatis convenientem deo, ratione independentia ab alio; quæ ut postea videbimus est ultimum constitutum essentiali dei, ac proinde non intelligitur prius constituta essentia, quam detur talis bonitas, sicut essentia hominis non intelligitur ante rationale, quia completa essentia dei significat rationem ultimo constitutam per bonitatem, seu perfectionem, assestatis, & ideo ait Damascenus, [ut autem Dionysio placet, primum ipsius nomen, bonus est, nec enim in deo prius ipsius essentiam dicere licet, ac postea bonitatem.] Nam bonitas primum conceptum dei significat sumpta pro perfectione entis à se, quæ omnia confirmant quæ nuper diximus; unde licet Damascenus doceat, melius posse nos & certius explicare quid sit deus per negationes, hoc est per omnium ablationem, quæ creaturis conveniunt, quam per positivas rationes; nihilominus tamen non excludit omnino à definitione dei essentiali omnia positiva, & affirmativa prædicata, ut videre est ex locis nuper citatis, siquidem per ens à se definit ipsum deum; solum enim excludit à primaria constitutione dei perfectiones illas, & prædicata illa affirmativa, quæ non significant primum conceptum dei, sed secundarium, qualia sunt, iustitia, sapientia, & reliqua, ut patet ex dictis: ergo non obstante solutione Patris Herize pro nobis est D. Damascenus aperte.

Secundo probatur auctoritate D. Basilij lib. 1. contra Eunomium. ibi: [quæcumque repentina comprehensione simplicia videntur, ac unica, varia vero ac multiplicia, si subtilius exquiruntur, hæc cum mente dividantur, opinione sola divisa dicuntur, ut tritici simplex intellectus omnibus inest, quo id cum occurrerit, statim cognoscimus, cum vero diligentius inquirimus, tunc multarum rerum speculatio accedit, & diversa nomina res ipsas significantia; idem enim triticum, nunc fructum, nunc semen, nunc cibum appellamus.] Unde longe inferius infert, quoniam igitur pacto non deridendus, si cteandi virtutem substantiam esse dicat; si providentiam rursus substantiam, eodem modo præscientiam, & omnem itidē operationem substantiam putet; nonne cum de deo audimus, quod in sapientia omnia fecit creaturam, tunc eius artem docemur, cum autem quod aperit manum suam, & implet bonæ voluntatis providentiam suam, quomodo non furere te perspicimus, si propriam cuique nominū potestatem inesse non putes, sed contra veritatem idē omnia posse nomina determinans? [secundum Basilium igitur non qualiscumque ignorantia, sed furor irrationis dignus est (ut optime advertit P. Ruiz.) putare synonyma sapientia, substantia, immutabilitatis, bonæ voluntatis, aliarumque perfectionum

diuinarum nomina nec fateri propriam cuiusque nominis potestatem ad explicandum peculiare sibi conceptum, qui non explicetur per aliud nomen.

Vergetur hæc veritas ex Chrysostomo homil. 1. de incomprehensibili dei natura, non longe ab initio, 20 agens de dei substantia, sed ex substantia sapientia est,] ubi Chrysostomus aperte significare videtur sapientiam esse attributum Deitatis, ab ipsaque essentia dei quasi emanantem per modum operationis, non quæ vere à parte rei sit talis, aut quod in re ipsa procedat à diuina substantia, sed potius per nostrum modum intelligendi. Quod explicans Gregorius Nizenus in li. 1. de eo quod non sunt tres dei, parum ab initio, sic ait, [nomina, quæ deo attribuiuntur, non significant naturam diuinam, sed illa quæ ipsam circumstant; vnum ex his nominibus esse illud, quo deum appellamus ab actu spectandi, & videndi, efficaciam itaque, & non naturam significat nomen Deitatis; videtur enim Gregorius sensisse nomen dei non tantum impositum fuisse ab operatione intelligendi, sed etiam eam significare, ac propterea eius nomen operationis potius, quam naturæ: ergo tantum abest, ut putaverit per intellectionem constitui naturam diuinam, ut potius propterea dixerit, nomen dei non significare naturam, quia significat operationem intelligendi qua sumptum est. Item patet eadem veritas ex August. 5. de Trinit. ubi à cap. 5. sæpe sapientiam dei eodem modo de deo affirmari vult, ac iustitiam; sed iustitia attributum est: ergo sapientia.

Respondet P. Herize, Augustinum ibi solum sibi velle, has perfectiones non dici de deo relative, sicut generari & genitum esse.

Sed contra, quia D. Augustinus non solum docet, absolute convenire deo tales perfectiones, videlicet, sapientiam, misericordiam, & iustitiam, sed etiam affirmat, inter perfectiones absolutas, alias esse primas, & primo constituentes deum, ut esse, secundum illud, qui est, misit me ad vos; alias vero esse secundas, seu secundario convenientes divinæ naturæ tanquam affectiones, & proprietates illius, & has esse docet, bonitatem, misericordiam, & iustitiam, & postea concludit, sapientiam eodem modo convenire deo: ergo testimonium D. Augustini non solum probat, sapientiam esse absolutam perfectionem, sed etiam esse attributum, & non quidditativum constitutum dei.

Item Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis, p. 6. sub initium ait: voluntas movet, scientia 22 disponit, potestas operatur, & si horum discretionem proponas, non est posse illud, quod scitionem proponas, non est posse illud, quod scire, nec scire illud, quod velle, & tamen deo idem sunt, posse scire, & velle. Dicitur illa ratio, & natura non dividit. Tandem Gregorius Nizenus in posteriori lib. de Trinit. ad Eustathium, significata nominum dei secundum diversos conceptus à natura diuina distingui, manifeste docet his verbis; [cum aliquis vniuscuiusque horum nominū, & ipsius naturæ, circa quam ea nomina intelliguntur, rationem reddit, ac definitionem, non eandem reddit utroque rationem. Quorum autem ratio, & definitio re diversa eorum natura quoque differt: igitur aliquid aliud essetia cuius nōdū oratio index cogitata atque inventa est, alia vero nominū, quæ circa eam in precedenti, quā in sequenti proferuntur.] Etiam in precedenti, quā in sequenti contextu commemoraverat nomina; dei Regē, benefactore, iudicē, bonū iustū, & quotquot sunt alia talia nomina.] Significatum autem nominis dei docet

Quæst. II. Vtrum Deus constituatur, &c. 235

docet ipse Gregorius Nizenus, esse sapientiam & cognitionem, aut visionem diuini intellectus: ergo sapientia, intelligentia, & cognitio Dei non sunt diuina essentia, aut constitutum quidditatum Dei, sed potius attributum ipsius.

SVBSECTIO II.

*Auctoritate D. Thomæ probatur nostra
veritas.*

23 **S**ANCTUS THOMAS expresse docet, diuinam scientiam, aut cognitionem non constituere Deū essentialiter, sed potius esse distinctam ab ipsa essentia, 1. p. q. 14. ibi: post considerationem eorum, quæ ad diuinam substantiam pertinent, restat considerandum de his, quæ pertinent ad operationem ipsius, & quia operatio quædam est, quæ manet in operante, quædam vero procedit in exteriorem essentiam; primo agemus de scientia, & voluntate; nam intelligere est in intelligente, & velle in volente. Ecce verba formata D. Thomæ, ubi manifeste docet, intelligere & velle esse non substantiam, aut quidditatem Dei, sed potius operationem, quæ nostro modo intelligendi fluit ab essentia, & substantia dei, ita tamen fluit, ut non sit operatio transiens, sed potius immanens in Deo, quia vitalis, in quo ait, distinguere Dei, & velle à creatione, quæ non est actio immanens sed transiens, quia fluit à Deo & transit ad creaturas, & concludit D. Thomas, primum sibi agendum esse de intelligere, & velle; deinde de creatione, quia intelligere, & velle manent in Deo, & præsupponuntur necessario ad creationem tanquam causa illius, & hoc quidem post explicata ea, quæ pertinent ad diuinam substantiam, & essentiam, ut patet ex illis verbis, post considerationem eorum, quæ ad diuinam substantiam pertinent, restat considerandum de his, quæ pertinent ad operationem ipsius, & primo agemus de scientia, & voluntate, &c. Ergo manifeste, & euidenter sequitur in sententia D. Thomæ, intelligere, sicut & velle, distinguere, & esse aliud ab ipsa diuina essentia, & ab omnibus constitutivis diuinæ essentia, & ideo docet D. Thomas post omnia constitutiva, seu post omnia ea quæ ad essentiam, & substantiam Dei pertinent, se acturum esse de intelligere, & velle dei, tanquam de operationibus, quæ fluunt nostro modo concipiendi; sed in sententia D. Thomæ, tum 1. p. tum lib. 1. contra Gentiles, nihil operatur, nisi in quantum est in actu, hoc est in quantum præsupponitur constitutum cōplete in suo esse: ergo in tantum intelligit deus, in quantum præsupponitur adæquate, & ultimo essentialiter constitutus, ac proinde nullo modo constituitur per ipsum intelligere, sicut nec per velle; quia nihil constituitur per id, quod supponit completam constitutionem, & quod sequitur ad illam, ut est operatio.

24 **V**rgetur hoc totum ex ipso Angelico Doctore, q. 1. de potentia, art. 1. ad primum, ibi: essentiam dei non habere principium, etiam secundum rationem, cognitionem vero Dei habere principium secundum rationem. Ecce quomodo docet, cognitionem habere principium, non autem essentiam Dei, quia iudicat cognitionem esse operationem, non vero essentiam; unde aliquod prædicatum concedit per rationem, (scilicet habere principium,) cognitioni, quod non concedit essentia; atque ea distinguuntur, de quibus prædicantur affirmatio, & negatio; quia de eodem non possunt duo contradictoria

I. P. Tom. II.

verificari: ergo intelligere, seu cognitio diuina non est essentia, neque constitutum quidditatum Dei; nulla enim substantia constituitur per operationem, quia est, aut concipitur per modum fluxus, sed per prædicatum permanens, & absolutum, quod sit principium operationis, & non operatio ipsa, quod sit radix, à qua fluat operatio; ipsum autem non fluat ab alia radice.

Secundo probatur ex eodem D. Thomæ eadem 1. p. q. 26. art. 2. ibi: [in Deo non est aliud esse, & intelligere secundum rem, sed tantum secundum intelligentiæ rationem.] Quid clarius & euidentius? siquidē expresse docet intelligere dei, licet habeat identitatem secundum rem cum essentia Dei, ac proinde non esse aliud ab illa, nihilominus tamen non habere identitatem, sed potius esse aliud per rationem ab essentia Dei, & inde inferit, beatitudinem, quæ est cognitio, conuenire Deo non secundum rationem essentia, sed tantum secundum rationem intellectus ut loquitur in solutione primi.

Nec satis est, quod aliqui respondent, scilicet à S. Thomæ asseri distinctionem solum rationis ratiocinantis; quia p. Th. eam distinctionem concedit per rationem inter cognitionem & essentiam, secundum quam prædicata contradictoria dicuntur de cognitione, & essentia Dei: atque huiusmodi distinctio non est rationis ratiocinantis, sed rationis, ratiocinantis; quia ea quæ solū distinctione rationis ratiocinantis differunt, non sunt subiecta prædicatorum contradictorie oppositorum, eo quod talis distinctio solum consistat in diuerso modo significandi sine fundamento aliquo; ut quādo distinguimus Petrum à seipso, quia de Petro, & ipso Petro non possumus contradictoria prædicata enunciare, ut enunciamus de intelligere, & essentia Dei; præcipue quia hæc prædicatio, Petrus est Petrus, est identica, & non formalis; hæc autem deus est suum intelligere non est identica sed formalis: ergo euidenter sequitur intelligere Dei, & essentia Dei non solum distinguere distinctione rationis ratiocinantis, sed etiam rationis ratiocinantis. Maior patet, quia S. Doctor docet, deum esse beatum formaliter ratione cognitionis & non ratione essentia; essentia non habere principium, cognitionem vero habere principium, quia est operatio; sed hæc sunt prædicata contradictorie opposita: ergo de diuina essentia, & intellectione prædicantur, & enunciantur illa.

Confirmatur; quia in loco adducto ex q. 26. op. 27 ponit distinctionem rationis soli distinctioni reali, & ait, essentiam, & cognitionem esse idem re, non vero secundum intelligentiæ rationem: ergo solum identitatem realem asserit, nullam vero identitatem rationis.

Dices, D. Th. 1. p. q. 14. art. 1. ad primum, dixisse, 28 scientiam Dei non esse qualitatem, vel habitum, sed substantiam, & actum purum: ergo scientia Dei in sententia D. Thomæ est constitutum diuinæ essentia.

Sed contra manifeste; quia hoc testimonio & loco non intendit probare D. Th. identitatem formalem inter intelligentiam, & prædicata essentialia dei, sed solum intendit ostendere identitatem realem inter naturam dei, & scientiam, eo quod argumento, quod contendebat in deo non esse scientiam; quia non est habitus, sufficienter respondebatur per solum identitatem realem. Deinde art. 4. cum ait, quod intelligere Dei est eius substantia, solum probatur identitas, eo quod scopus D. Thomæ ibi solum erat ostendere, intelligere dei non esse accedens, ad quod sufficit identitas realis. Quapropter immerito asseruntur testimonia hæc contra nos. Porro eadem 1. p. quæst. 54. art. 2. cum concludit corpus articuli

G g 2 h i j